



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. VIII. Vtrum actus contritionis & charitatis, qui ad gratiam habitualement
ultimò disponunt, ab ea effectivè procedant, vel ab auxilio actuali, per
modum transeuntis communicato?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

lus in sacramento Baptismi recipit gratiam, sine ullo motu liberi arbitrij: Ergo similiter adultus, de absoluta potentia, justificari poterit, sine aliquo ejus actu, quo disponatur ad gratiam, per hoc scilicet quod ipsi dormienti, vel nihil operanti, habitus gratiæ sanctificantis à Deo infundatur; quia talis infusio erit virtualis peccati præcedentis retractatio; habitualiter enim transmutabit affectum illius à volitione peccati ad amorem justitiæ.

178. Confirmatur amplius: Si humanitas maculata peccatis uniretur personaliter Verbo Divino, justificaretur per talem unionem, antecedentem omnem ejus actum, & mundaretur ab omni peccato, ut docent Theologi in Tractatu de Incarnatione: Ergo per absolutam Dei potentiam potest impius justificari, sine ullo motu liberi arbitrij in peccatum. Sed de his fusiis in Tractatu de penitentia, ad quem hujus difficultatis resolutio pertinet.

Disp. 3.
art. 2.
concl. 3.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum actus contritionis & charitatis, qui ad gratiam habitualement ultimò disponunt, ab ea effectivè procedant, vel ab auxilio actuali, per modum transeuntis communicato?

179. **Q**uestio solùm procedit de actibus contritionis & charitatis, qui sunt dispositiones ultimæ ad gratiam habitualement, eam concomitantes in eodem instanti in quo infunditur; nam de alijs dispositionibus præcedentibus tempore infusionem gratiæ, non est dubium quin proveniant, tanquam à principio effectivè, ab aliquo auxilio distincto realiter à gratia habituali. Non est etiam hujus quæstionis sensus, an gratia habitualis sit immediatum principium productivum illorum actuum, cum illa non sit immediatè operativa, ut in Tractatu de gratia docuimus: Sed inquirimus solùm, an gratia habitualis sit illorum actuum principium mediatum, eosque efficiat medijs habitibus operativis charitatis & penitentiae, qui simul cum illa infunduntur in instanti justificationis; vel illi procedant ab aliquo solùm auxilio speciali, à gratia habituali entitativè distincto, & per modum transeuntis communicato.

Disp. 2.
art. 6.

180. Ratio dubitandi est, quia ex una parte videtur intelligibile, quod aliquis actus ab aliqua forma effectivè procedat, & tamen ad ejus receptionem subjectum disponat: si enim ab illa efficiatur, eam jam existentem, & in subjecto receptam supponit; cum nulla causa efficiens agat, nisi existat, & accidentis esse sit subjecto inesse; atque adeo ad ejus receptionem subjectum non disponit. Aliunde verò, cum actus contritionis & charitatis sint perfectè vitales in ordine supernaturali, & meritij gloriæ æternæ, non videntur posse procedere, nisi à principio radicali vitæ supernaturalis, quod est gratia sanctificans, quæ in ordine supernaturali gerit vices substantiæ; sicut in ordine naturali intellectio & volitio, quia sunt actus vitales, non possunt procedere nisi ab anima, quæ est principium radicale vitæ intellectualis.

181. Hæc difficultas, quæ, ut ait Medina, magis subtilis, quàm utilis est, Theologorum ingenia non

A parum torquet, eosque in duas sententias omnino oppositas abire compellit. Quidam enim existimant tales actus ad gratiam disponentes, non procedere effectivè ab ea, sed ab auxilio actuali, per modum transeuntis communicato, & à gratia habituali realiter & entitativè distincto. Hanc sententiam communiter defendunt recentiores Theologi, Suarez, Molina, Bellarminus, Curiel, & alij, & ex Thomistis Joannes à S. Thoma, Aravius, Hacquetus, & Philippus à S. Trinitate. Alij verò Discipuli D. Thomæ, quos sequuntur Vazquez, & Valentia, contendunt actus contritionis & charitatis, qui ad gratiam habitualement ultimò disponunt, ab ea procedere efficienter, mediante habitibus penitentiae & charitatis, subindeque esse illà priores & posteriores in diverso genere causæ, & secundum diversas rationes & formalitates, quas in gratia habituali distinguunt. Hæc sententia videtur probabilior, & principijs doctrinæ D. Thomæ, & antiquiorum Thomistarum conformior. Unde pro ea sit.

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur, actus contritionis & penitentiae, ad gratiam ultimò disponentes, esse effectivè ab ipsa, ut à principio radicali, non verò ab aliquo auxilio, ab ea realiter distincto.

Hæc conclusio probari solet à nostris Thomistis, pluribus D. Thomæ testimonijs, quæ brevitate causâ prætermitto, & duo tantum quæ videntur clariora profero. Primum habetur in 4. sent. dist. 17. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 2. ubi loquens de actibus charitatis & contritionis, qui ad justificationem ultimò disponunt, sic ait: *Cum isti motus qui sunt in ipsa justificatione impij, sint quasi dispositio ultima ad gratiæ susceptionem, suo modo procedunt quidem in via causæ materialis, sed sequuntur in via causæ formalis. Unde cum ex eodem S. Doctore ibidem in corp. art. forma, finis, & agens, incident in idem numero vel specie, (ex quo ibidem infert infusionem gratiæ esse priorem remissione culpæ, non solùm in genere causæ formalis, sed etiam efficientis, & finalis) manifestum est, juxta illius principia, actus contritionis & charitatis, qui ad gratiam habitualement ultimò disponunt, ab ipsa effectivè procedere, & illam quidem præcedere in genere causæ materialis dispositivæ, sed subsequi in genere causæ, non solùm formalis, sed etiam efficientis & finalis.*

Secundum sumitur ex art. 8. hujus quæstionis, ubi querit an gratiæ infusio sit prima in ordine naturæ inter ea quæ ad justificationem requiruntur? & contra partem affirmativam, quam cum aliqua modificatione sustinet, sibi objicit secundo loco: *Dispositio præcedit naturaliter formam ad quam disponit: sed motus liberi arbitrij est quædam dispositio ad susceptionem gratiæ: ergo præcedit infusionem gratiæ: Cui argumento sic respondet: Ad secundum dicendum, quod dispositio subjecti præcedit susceptionem formæ, ordine naturæ, sequitur tamen actionem agentis, per quam etiam ipsum subjectum disponitur: & ideo motus liberi arbitrij, naturæ ordine præcedit consecutionem gratiæ, sequitur autem gratiæ infusionem. Unde constat ex D. Thoma, actionem per quam producantur actus contritionis & charitatis, ad gratiam disponentes, ex parte ipsius Dei, esse ipsam*

infusionem gratiæ, quæ mediante elevatur liberum arbitrium, ut eliciat huiusmodi actus. Per gratiæ vero infusionem non potest intelligi collatio auxilij actualis, à gratia habituali realiter distincti: Tum quia S. Thomas loquitur de gratia ad quam recipiendam requiritur dispositio subiecti; ad gratiam verò actualem nulla requiritur dispositio, ut ipse docet quæstione præcedenti art. 2. Tum etiam quia ibi loquitur de infusione gratiæ, per quam fit remissio culpæ, ut patet ex corpore articuli, & ex resp. ad 1. gratia autem per quam culpa remittitur, est gratia habitualis, non verò actualis.

184. Adde quod idem S. Doctor ad justificationem nullum aliud auxilium movens liberum arbitrium requirit, quàm ipsam gratiam habitua- lem, ait enim hic art. 7. *Tota iustificatio impij originaliter consistit in gratia infusione: per eam enim & liberum arbitrium movetur*, mediantibus habitibus charitatis & pœnitentiæ, & culpa remittitur: At culpa non remittitur per auxilium Dei actuale, sed per gratiam habitua- lem: Ergo juxta D. Thomam in justificatione liberum arbitrium movetur ad eliciendos actus, ad gratiam habitua- lem disponentes, per ipsammet gratiam habitua- lem; quæ, ut infra exponemus, duo exer- cet munia, nempe auxilij moventis (mediantibus prædictis habitibus) & formæ iustificantis, seu peccatum expellentis.

185. Potest insuper suaderi conclusio varijs rati- onibus, quas breviter hic exponemus. Prima, quam in ratione dubitandi insinuavimus, sic potest pro- poni. De ratione actus vitalis est ut procedat à principio proximo vitæ, ut conjuncto principio radicali, ut patet in omnibus actibus vitalibus, tam corporeis, quàm spirituales; nullus enim illorum procedit nisi à principio proximo, scilicet potentia, & à principio radicali, nimirum anima: Sed actus contritionis & charitatis, qui ad justificationem disponunt, sunt vitales, vitali- tate supernaturali; ut patet, cum per charitatem vitæ supernaturali & divinæ vivamus, juxta illud 1. Joan. 3. *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus: qui non diligit, manet in morte*: Ergo procedunt ab habitibus pœniten- tiæ & charitatis, ut conjunctis gratiæ habitua- li, quæ est principium radicale vitæ supernatu- ralis.

186. Dices, ad vitalitatem supernaturalem illorum actuum sufficere, quod procedant à Deo interiùs in anima operante, & eam movente per auxilium supernaturale, per modum transeuntis commu- nicatum.

Sed contra: Deus non potest immediatè per seipsum supplere vices principij vitalis, sed ad vi- talitatem actus necessariò requiritur influxus po- tentiæ vitalis, conjunctæ principio radicali vitæ: unde si Deus immediatè per seipsum moveret ali- quod corpus mortuum, operando interiùs in il- lo, talis motus non esset vitalis, quia non proce- deret à potentia vitali, conjuncta animæ, quæ est principium radicale vitæ naturalis. Ex quo infer- unt Theologi in Tractatu de Angelis, actiones elicatas ab Angelis in corporibus assumptis, puta locutionem, comestionem, aut deambulationem, non esse vitales, quia non procedunt à forma in- formante, sed ab intelligentia assistente: Ergo etsi Deus moveat interiùs hominem per auxilium su- pernaturale, ad eliciendos actus contritionis & charitatis, ad justificationem ultimò disponentes; si tamen illi non procedant ab habitibus infusis

A pœnitentiæ & charitatis, qui tenent locum po- tentiæ vitalis in ordine supernaturali, & à gratia habituali, quæ est principium radicale vitæ super- naturalis, non erunt perfectè vitales vitalitate su- pernaturali.

Confirmatur: Actus fidei & spei, elicit à pec- catore, vitæ supernaturali gratiæ privato, non sunt perfectè vitales, vitalitate supernaturali, ut communiter docent Theologi, & colligitur ex illo Jacobi 2. *Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est*; & ex illo 1. Joan. 3. *Qui non diligit, manet in morte*: & tamen illi actus procedunt à Deo interiùs in anima operan- te, & eam movente per auxilium supernaturale, per modum transeuntis communicatum: Ergo hoc non sufficit ad perfectam vitalitatem ordinis supernaturalis; sed ad illam necessariò requiritur influxus gratiæ sanctificantis, quæ est principium radicale vitæ supernaturalis, medio aliquo habi- tu supernaturali, qui teneat locum potentiæ vita- lis in illo ordine: unde si actus contritionis & charitatis, ad gratiam habitua- lem ultimò dispo- nentes, ab ea effectivè non procedant, sed so- lum ab auxilio actuali, per modum transeuntis collato, non erunt perfectè vitales, vitalitate su- pernaturali.

Secunda ratio: Inclinatio actualis voluntatis nostræ in bonum divinum, ut est in seipso, debet effectivè procedere à gratia habituali, tanquam à principio radicali: Sed actus contritionis, & dilectionis perfectæ, qui ultimò disponunt ad gratiam habitua- lem, sunt inclinatio actualis vo- luntatis nostræ in bonum divinum, ut est in seip- so: Ergo effectivè procedunt à gratia habituali, tanquam à principio radicali. Minor constat, Major verò probatur. Omnis inclinatio in bo- num alicujus naturæ, eam supponit, & ab ea ef- fectivè procedit; ex quo inferunt Theologi, quod velle Dei non est ipsius natura, sicut intelligere, quia volitio dicit inclinationem, quæ supponit naturam, & non constituit; & eadem ratione gradus volitivus in rebus creatis non constituit naturam; sicut esse, vivere, & intelligere: Ergo inclinatio actualis in bonum divinum, prout est in seipso, supponit naturam divinam participa- tam à nobis, & ab ipsa effectivè procedit; subin- deque à gratia habituali, quæ sola est naturæ di- vinæ, ut natura est, formalis & physica parti- cipatio, ut in Tractatu de gratia fusè ostendi- mus.

Tertia ratio: Actus meritorij vitæ æternæ sup- ponunt gratiam habitua- lem, & ab ea effectivè procedunt: Sed actus contritionis, & charitatis, qui ad justificationem ultimò disponunt, sunt meritorij vitæ æternæ: Ergo supponunt gratiam habitua- lem, & ab ea effectivè procedunt, non verò ab aliquo auxilio actuali, per modum tran- seuntis communicato. Major patebit ex dicendis disputatione sequenti, ubi conditiones ad meri- tum vitæ æternæ requisitas exponemus. Minor verò probatur primò ex D. Thoma quæst. præ- cedenti art. 2. ad 1. sic dicente: *Preparatio hominis ad gratiam habendam quadam est simul cum ipsa infusione gratiæ: & talis operatio est quidem meri- toria, sed non gratia qua jam habetur, sed gloria, quæ nondum habetur*. Secundo probatur eadem Minor ratione. Si actus contritionis & charita- tis, ad justificationem ultimò disponentes, non essent meritorij vitæ æternæ, sequeretur adul- tum, iustificatum extra sacramentum, posse con- sequi gloriam sine ullo proprio merito: quod est

contra determinationem Concilij Tridentini, definitis gloriam dari parvulis, titulo hereditatis, adultis verò, titulo præmij & mercedis. Sequela probatur: potest contingere quod adultus, justificatus extra sacramentum per actus contritionis & charitatis, statim moriatur, post adeptam gratiam justificationis, antequam alios actus vitæ æternæ meritorios eliciat, & quod post mortem gloriam consequatur: unde si eam non consequatur ex merito actuum contritionis & charitatis, quibus ad justificationem ultimò se disposuit, manifestum est, quod sine ullo proprio merito illam obtinebit, eamque non habebit titulo mercedis, sed tantum hereditatis, sicut parvuli qui in gratia baptismali decedunt.

190. Respondent Curiel & Joannes à S. Thoma, quod etsi actus illi non essent effectivè à gratia habituali, essent tamen meritorij gloriæ, quia subiectum haberet gratiam habitualement in illo instanti in quo elicerentur, per quam esset gratum Deo.

Sed contra: Ut actus habeant rationem meriti propriè, non sufficit quòd sint in subiecto habente gratiam, sed insuper requiritur aliquis influxus gratiæ, per charitatem, & alios habitus, quo vel eliciantur, vel saltem impendantur formaliter, aut virtualiter; aliàs omnes actus hominis iusti, sive supernaturales, sive naturales, essent meritorij, quod non recipitur communiter: Ergo etsi homo habeat gratiam habitualement in eodem instanti, in quo elicit actus contritionis & charitatis ad eam ultimò disponentes, si tamen illi actus effectivè non procedant à gratia habituali, medio habitu charitatis & pœnitentiæ, non erunt meritorij vitæ æternæ, subindeque adultus, qui eam ex vi solum illorum actuum consequetur, eam non habebit ex meritis, & titulo mercedis, sed sine meritis, & solum titulo hereditatis.

191. Quarta ratio: Si actus contritionis, & dilectionis perfectæ, non essent effectivè à gratia habituali, eam mediantibus illis actibus homo mereretur de condigno: Sed hoc non debet admitti: Ergo nec illud. Minor est certa: colligitur enim apertè tum ex Apostolo ad Roman. 3. dicente, *Justificati gratis: tum ex Tridentino sess. 6. cap. 8. ubi dicitur: Nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promerentur*; eamque docet expresse D. Thomas suprà citatus, dicens quod *operatio quæ homo preparat se ad gratiam habendam, est quidem meritoria, sed non gratuita, quæ jam habetur, sed gloria quæ nondum habetur*. Sequela verò Majoris probatur: Id quod est sufficiens ad merendum de condigno gloriam, est etiam sufficiens ad condignè promerendum gratiam justificantem; si ipsam non præsupponat tanquam principium à quo effectivè procedat; cum enim gloria sit gratia consummata, quod est sufficiens principium condignè promerendi gloriam, est etiam sufficiens principium promerendi condignè gratiam habitualement, dummodo talis gratia non sit principium talis meriti: Sed actus contritionis & charitatis, quibus homo ad justificationem ultimò se disponit, sunt sufficientes ad merendum gloriam, ut suprà ostendimus, & farentur Adversarij: Ergo & ad promerendam primam gratiam, quæ in instanti justificationis infunditur, si ab ea effectivè non procedant.

192. Dices fortè, quod licet tales actus non proce-

dant effectivè à gratia habituali, eam tamen promereri nequeunt, quia sunt simul cum illa, & meritum aliquo saltem instanti debet præcedere præmium.

Sed contra: Actus charitatis intensiores habitu, merentur de condigno ejus augmentum, ut colligitur ex Tridentino sess. 6. can. 32. & nihilominus tale augmentum est in eodem instanti: Ergo ex eo quòd actus charitatis & contritionis perfectæ, & gratia habitualis existant in eodem instanti, male infertur tales actus non posse gratiam illam de condigno mereri.

Ultima ratio philosophica est, & potest sic proponi. Non repugnat aliquid disponere subje-

ctum ad receptionem alicujus formæ, & nihilominus ab illa procedere: Ergo licet actus contritionis & charitatis ad gratiam sanctificantem ultimò disponant, possunt tamen ab illa effectivè procedere. Consequentia pater: Antecedens probatur. Forma constitutiva naturæ est causa efficiens omnium suarum passionum, & tamen illæ sunt dispositiones ad recipiendam & conservandam illam in materia: v. g. anima rationalis nequit recipi in materia, sine sensu tactus, & sine complexione sufficiente ad illum, & ideo ipse tactus & complexio sufficiens pro illo, sunt dispositiones ad introducendam & conservandam animam in corpore; unde teste Aristotele 2. de anima textu 94. & D. Thomà 1. p. quæst. 76. art. 3. juxta majorem vel minorem perfectionem complexionis requiritur ad sensum tactus, anima est perfectior vel imperfectior, & ingenium crassius vel subtilius; & tamen certum est ipsum tactum, & complexionem requisitam ad illum, solum posse effectivè produci ab anima, ut à causa efficiente immediata, quia tactus est potentia vitalis & animalis, quæ exigit produci à principio radicali vitæ, scilicet anima. Idem contingit in calore ut octo, qui remanet in igne: ille enim effectivè producit à forma ignis qui generatur, & tamen ultimò disponit ad illam; sicut docet S. Thomas 3. p. quæst. 7. art. 13. ad 2. ubi sic habet: *Calor qui fuit dispositio ad formam ignis, est effectus profluens à forma ignis jam præexistens*; & quæst. 9. art. 3. ad 2. ait: *Per calorem disponitur materia ad suscipiendam formam ignis, quæ tamen adveniente calore non cessat, sed remanet, quasi quidam effectus talis forme*. Ergo non repugnat aliquid disponere subiectum ad receptionem alicujus formæ, & nihilominus ab illa procedere.

Confirmatur: Organizatio corporis est dispositio ad receptionem animæ, & tamen corpus non habet esse organicum, nisi ab anima, ut docet S. Thomas 1. p. quæst. 76. art. 4. ad 1. & communiter Philosophi, cum explicant hanc definitionem animæ ab Aristotele traditam: *Anima est actus corporis physici organici &c.* Item diaphaneitas seu perspicuitas est ultima dispositio in corpore diaphano ad receptionem lucis, quæ propterea definitur ab Aristotele, *Actus perspicui*; & tamen talis diaphaneitas à luce procedit, cum impossibile sit aliquod corpus esse diaphanum, nisi ex participatione lucis. Ergo licet actus contritionis & charitatis ad gratiam habitualement ultimò disponant, possunt nihilominus ab illa procedere; quia ut ait Philosophus 5. metaph. & 2. phys. *Causa sunt sibi invicem causæ*: unde quod in uno genere est causa alterius, potest in alio genere ab ipso dependere & causari, subindeque in diverso genere causæ simul esse prius & posterius. Sic materia est prior formâ, in genere

genere causæ sustentantis; & illâ posterior, in genere causæ actuantis & informantis. Sic ambulationis est causæ efficiens sanationis, & sanatio causæ finalis ambulationis. Sic ex parte Solis prius est illuminare, quam tenebras removere: ex parte autem aeris illuminandi prius est purgari à tenebris, quam consequi lumen: ordine naturæ, licet utrumque sit simul tempore, ut ait S. Thomas hic artic. 8. ad 1. Sic etiam corruptio secundum ordinem causæ materialis dispositivæ, est prior introductione formæ est prior alterius corruptione & expulsionem, in genere causæ efficientis, formalis, & finalis, ut idem S. Doctor tradit in 4. sent. dist. 17. quæst. 1. artic. 4. in corp. Sic denique ingressus venti intrantis per fenestram in aulam, est causæ efficiens apertionis fenestram, & tamen apertio fenestram, utpote impediementi remotio, concurrens in genere causæ materialis dispositivæ ad prædictum venti ingressum. Ex quibus patet, non repugnare, sed potius connaturaliter fieri posse, ut aliquid pendeat ab alio in genere causæ efficientis, & nihilominus sit prior illo in genere causæ materialis disponens, subindeque quod actus contritionis & charitatis effectivè procedant à gratia habituali, ad quam ultimo disponunt.

Quod ut magis declaretur, & Adversariorum fundamenta facilius convellantur, duo breviter hic notanda sunt, ex quorum observatione valde illustrabitur nostra sententia.

195. Primum est, quod licet idem sint secundum rem in instantaneis fieri & factum esse, hoc tamen non obstat, quominus eadem res, quæ simul sit & facta est, prius ordine naturæ, & secundum rationem nostram, cum fundamento in re, concipiatur in fieri, quam in facto esse; & sic gratia habitualis, quæ in eodem instanti infunditur à Deo, & simul est infusa, atque recepta in anima, prius prioritate naturæ concipiatur in fieri & in infundi, quam infusa & in facto esse.

196. Secundum est, quod inter hos duos status huiusmodi formæ, potest mediare aliqua actio realis, quæ supponat unum statum, & supponatur ad alterum: quo pacto inter Paternitatem Divinam, ut constituentem Personam Patris, & eandem, ut referentem Patrem ad Filium, mediat actus generationis, qui supponit Paternitatem ut constituentem, & supponitur ad eandem ut referentem, ut in Tractatu de Trinitate fusè declaravimus. Item nostri Thomistæ communiter docent in Tractatu de auxilijs, quod inter permissionem primi peccati activè sumptam, prout est activa denegatio auxilij efficacis, tenens se ex parte Dei, & eandem denegationem passivè sumptam, prout est carentia ejusdem auxilij, passivè recepta in homine, seu concepta ut se tenens ex parte hominis, mediat peccatum mortale, quod consequitur ad permissionem activam Dei, consecutione logicâ, & indirectè; antecedit verò eandem permissionem passivè sumptam, seu carentiam auxilij, ut se tenentem ex parte peccatoris, qui ideo caret auxilio efficaci, quia per peccatum posuit obicem ejus receptioni. Denique idem patet in exemplo venti apertionis fenestram, & per eam in aulam intrantis, quod supra adduximus: nam inter ingressum venti, ut est in fieri, & in facto esse, mediat apertio fenestram, quæ effectivè procedit ab ingressu venti, ut est in fieri, & disponit ad ejus ingressum in facto esse.

Tom. IV.

A Dicimus ergo cum Cajetano, Contrado, Ferrariensi, & alijs celebrioribus Thomistis, quod gratia habitualis potest considerari duobus modis, secundum quos duo munia omnino diversa exercet: primò ut est in fieri, seu infundi, & prout se tenet ex parte Dei illam communicantis: secundo ut est infusa, & in facto esse, & quatenus se tenet ex parte hominis illam recipientis. Primo modo gerit vices auxilij moventis: secundo modo habet rationem habitus & formæ permanentis, & animam sanctificantis, ac dantis esse divinum participativè, esse gratum Deo, & obiectum congruum dilectionis ipsius; & quia primum munus est propter secundum, exercet prius primum quam secundum, ordine executionis: unde prius prioritate à quo communicatur animæ, in ratione auxilij moventis, & ut se tenet ex parte agentis, quam in ratione habitus, & formæ sanctificantis; ut communicata prius in ratione auxilij moventis, disponat ad sui connaturalem receptionem in ratione habitus, per actus contritionis & charitatis. Ex quo facillè intelligitur, quomodo illi actus sint causa & effectus gratiæ in diverso genere: sunt enim effectus à gratia activè procedentes, prout est in fieri, & se tenet ex parte agentis, habetque rationem auxilij moventis: sunt verò causa materialis dispositiva ejusdem gratiæ, ut est in facto esse, & prout se tenet ex parte subjecti recipientis, habetque rationem habitus & formæ permanentis, atque animam sanctificantis.

Hæc doctrina maximum fundamentum habet in D. Thoma hic art. 7. dicente: *Tota justificatio impij originaliter consistit in gratiæ infusione, per eam enim & liberum arbitrium movetur, & culpa remittitur.* His enim verbis aperte declarat, ad justificationem impij non requiri auxilium movens, distinctum à gratia sanctificante, sed ipsam posse simul movere liberum arbitrium, & culpam remittere, subindeque simul gerere munus auxilij moventis, & formæ sanctificantis. Unde art. 8. in corp. ait: *Ipsa igitur Dei moventis motio, est gratiæ infusio.* Ubi loquitur de gratia justificante, seu remittente peccatum, quæ non est gratia actualis, sed habitualis. Et in resp. ad 2. *Dispositio subjecti* (inquit) *præcedit susceptionem formæ, ordine naturæ, sequitur tamen actionem agentis, per quam etiam ipsum subjectum disponitur, & ideo motus liberi arbitrij, naturæ ordine præcedit consecutionem gratiæ* (nempe justificantis) *sequitur autem gratiæ infusionem.* prout scilicet, talis gratia se tenet ex parte agentis, & gerit vices auxilij moventis, nam sub hac ratione & formalitate, causat actus contritionis & charitatis, quibus liberum arbitrium in Deum, & in peccatum movetur, ut antea declaravimus.

E Ratio etiam suffragatur: Nullus enim negare potest, quod in eodem instanti temporis, verificetur fieri rei, & factum esse, seu infundi gratiam, & esse infusam, & quod fieri sit prius naturâ, quam factum esse, quia fieri est causa facti esse, & infundi infusi esse: Ergo absque fundamento negaret aliquis, quod res in fieri causet aliquem effectum, antequam intelligatur in facto esse: Ergo & quod gratia in infundi, causet dispositiones, antequam intelligatur infusa in facto esse. Hæc secunda consequentia patet, prima verò probatur: nam communiter dicitur quod materia & forma, ut intelliguntur in fieri, causant totum, ut enim intelliguntur in facto

X

esse, simul sumptæ, sunt formaliter idem quod totum, unde realiter non possunt illud causare, quia inter causam realem & effectum debet intercedere distinctio realis. Adde quod fieri rei est aliquid reale, habens existentiam realem in instanti temporis vero & reali: Ergo potest habere aliquem effectum realem: Ergo pro illo priori naturæ, quo gratia est in infundi, potest causare dispositiones. Cum enim fieri rei causet esse illius in facto esse, debet causare quicquid est necessarium ad ponendum factum esse: Sed dispositiones sunt necessariae ex parte subiecti ad ponendam gratiam in facto esse, & ad illam conaturaliter recipiendam: Ergo ab eodem fieri gratiæ, à quo ponitur ejus factum esse, dispositiones ad gratiam effectivè causari debent.

199. Sed ad majorem hujus obscurissimæ & difficultissimæ questionis elucidationem, & plurium argumentorum solutionem, diligenter observandum est, quod quando dicimus cum Aristotele & D. Thoma, quod causæ sunt sibi invicem causæ, & sese mutuo in diverso genere præcedunt, & subsequuntur, non intendimus quod causa materialis præcedat efficientem, sub ratione efficientis, ita ut detur mutua causalitas inter causam materiale & efficientem, quia causa efficiens in executione est prior simpliciter & omnibus modis causâ materiali, & formali; nam materiale causam transmutat, ut recipiat formam; formam verò introducit in materiam, in cujus introductione exercetur causalitas utriusque causæ materialis & formalis; materialis quidem, recipiendo formam; formalis verò, informando materiam: unde hanc utramque causalitatem prævenit causalitas causæ efficientis, cum utramque causet; adeoque nullo modo causalitas causæ efficientis est posterior causalitate materiali & formali, sed solum causa materialis & formalis, efficiens & finalis, se mutuo in diverso genere præcedunt & subsequuntur. Pater hoc exemplo supra adducto aeris aperiens fenestram, & per eam intrantis in aulam: impulsus enim, quia concurret in genere causæ efficientis, prior est omnibus modis aperiens fenestram, & introitu aeris seu venti; introitus verò aeris seu venti, & aperiens fenestram, se mutuo præcedunt & sequuntur in genere causæ materialis & formalis; nam aer non introiret, nisi aperiens fenestra, neque fenestra aperiens, nisi aer introiret. Ita similiter in præfati dicimus quod gratia habitualis, ut est in infundi, & ut habet rationem auxilij moventis, sub qua ratione effectivè causet (radicaliter) actus contritionis & charitatis, simpliciter & omnibus modis illos præcedit, & nullo modo est illis posterior: secundum verò aliam formalitatem quam habet, nempe ut est forma efficiens subiectum, & constituens illud gratum, filium Dei adoptivum &c. est prior & posterior illis actibus, in diverso genere causæ, eos enim præcedit in genere causæ formalis, & subsequitur in genere causæ materialis dispositivæ. Unde axioma illud, *Causæ sunt sibi invicem causæ*, intelligitur de causis materiali & formali, efficiente & finali, adinvicem comparatis, non verò de causa efficiente, ad materiale vel formalem comparata.



5. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primo: Tridentinum sess. 6. cap. 5. & can. 3. & 4. dispositiones ad justificationem refert in Dei motionem, & gratiam prævenientem, excitantem, atque adjuvantem, tanquam in causam efficientem: Sed gratia excitans atque adjuvans ad producos actus, qui ad justificationem ultimo disponunt, non est habitualis, sed actualis, nimirum auxilium quoddam transiens: Ergo ex Tridentino actus contritionis & charitatis, ultimo ad justificationem disponentes, non procedunt à gratia habituali, sed ab auxilio actuali per modum transiens communicato.

Confirmatur: Concilium ibidem cap. 7. ait unicuique dari justitiam & gratiam habitualement, secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem: At si talis dispositio effectivè procederet à gratia habituali, potius esset dicendum, dispositionem esse juxta proportionem gratiæ habitualis, quam gratiam habitualement juxta proportionem dispositionis: Ergo &c.

Ad objectionem respondeo concessa Majori, negando Minorem: gratia enim habitualis, ut infunditur, & est in fieri; præveniens & excitans auxilij rationem habet; Per eam enim (inquit S. Doctor supra relatus) & liberum arbitrium movetur, & culpa remittitur; & rursus: Ipsa Dei moventis motio, est gratiæ infusio. Unde licet ad actus qui justificationem antecedunt, & ad eam remotè solum disponunt, requiratur aliquod auxilium, à gratia habituali realiter & entitativè distinctum, non tamen ad actus contritionis & charitatis, qui sunt dispositiones gratiam habitualement concomitantes, & ponuntur in eodem instanti quo illa infunditur: cum enim gratia habitualis possit in hoc instanti diversâ obire munia, & simul movere liberum arbitrium, & sanctificare animam, atque ab ea peccatum expellere, frustra tunc admittitur aliquod auxilium realiter ab ea distinctum, nam frustra sunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora.

Ad confirmationem nego etiam Minorem: nam licet gratia habitualis, ut est in infundi, & quatenus gerit munus auxilij moventis, non commensuretur unicuique dispositioni, sed potius eam efficiat, & sibi commensuret; ut tamen habet rationem habitus sanctificantis, & est in facto esse, ac perfectè communicat subiecto suum effectum formalem, datur unicuique juxta proportionem dispositionum.

Objicies secundò: D. Thomas 1. parte quest. 62. art. 2. ad 3. dicit conversionem ad Deum clarè visum requirere gratiam consummatam; conversionem meritoriam beatitudinis, requirere gratiam habitualement; conversionem verò, quæ homo se præparat ad habendam gratiam, non requirere gratiam habitualement, sed operationem Dei moventis animam ad se. Ergo actus charitatis & contritionis, qui sunt præparationes & dispositiones ad gratiam habitualement habendam, non procedunt à gratia habituali, sed actuali. Eandem doctrinam tradit in hac parte quest. 109. art. 6. his verbis: *Alio modo potest intelligi præparatio voluntatis humane ad consequendum ipsum gratiæ habitualis donum: ad hoc autem quod præparet se homo ad susceptionem hujusmodi*

Noni, non oportet presupponere aliquid aliud donum habituale in anima, quia sic procederet in infinitum; sed oportet presupponi aliquod auxilium gratuitum Dei interius animam moventis, sive inspirantis bonum propositum. Ecce quomodo D. Thomas distinguit auxilium seu donum gratiæ, à quo procedit præparatio ad gratiam habitualement habendam, à dono ipso habituali, illudque appellat auxilium Dei moventis, seu Dei motionem: motio autem Dei, in doctrina D. Thomæ, est aliqua qualitas collata per modum transeuntis, non verò ipsum gratiæ sanctificantis donum.

Id confirmat Joannes à S. Thoma hic disp. 28. art. 2. ex quæst. 28. de verit. art. 8. ubi D. Thomas referens sententiam asserentem, gratiam habitualement præcedere contritionem, quia mediâ contritione causat efficienter remissionem peccatorum, eam his verbis repellit: *Si gratia per actum contritionis, & fidei formata, causat remissionem culpe, causabit eam per modum cause efficientis, quod esse non potest: nam causa effectivè destruens aliquid, prius ponitur in esse, quàm id quod destruit sit in non esse, non enim ageret in ejus destructionem quod jam non est: unde sequeretur quod gratia prius esset in anima, quàm culpa esset remissa, quod est impossibile. Unde patet quod gratia non per aliquam operationem est causa remissionis culpe, sed per informationem subiecti.* Ex quibus verbis exillinat Joannes à S. Thoma invictum argumentum desumptum adversus nostram doctrinam: nam si contritio (inquit) in quantum dispositio ultima, est efficienter à gratia habituali, & illa contritio servit ad expellendum peccatum, gratia habitualis per aliquam operationem suam, scilicet per contritionem à se elicita, est causa remissionis culpe; quod tamen expressè rejicit S. Doctor verbis relatis. Addit quod si ideo non possit (ut loquitur D. Thomas) gratia habitualis effectivè destruere peccatum, quia aliàs deberet ad ipsum supponi existens, cum non minus requiratur existentia gratiæ, ut producat ultimam dispositionem, quàm ut efficienter destruat formam contrariam; eadem ratione quâ probat D. Thomas remissionem culpe non posse esse à gratia habituali, probatur etiam quod contritio, ut dispositio ultima ad remissionem culpe, à gratia habituali effectivè non procedat.

Ad primum & secundum D. Thomæ testimonium respondeo, quod quando S. Doctor ait ad conversionem, per quam aliquis præparat se ad gratiam habendam, non exigi aliquam habitualement gratiam, vel loquitur de præparatione imperfecta ad gratiam, & antecedente, quæ ab actuali auxilio procedit: vel si loquatur de dispositione perfecta & concomitante, solum intendit non requiri aliam habitualement gratiam, seu donum habituale, distinctum à gratia sanctificante, quæ in instanti justificationis infunditur; aliàs (inquit) daretur processus in infinitum: vel denique solum vult excludere donum habituale per modum habitus, non verò per modum auxilij, & in infundi; & hoc vocat motionem, seu Dei moventis auxilium, quia gratia habitualis, dum infunditur, movet liberum arbitrium: unde ait hic art. 8. *Ipsa Dei moventis motio est gratia infusio.* Quod autem interpretationes istæ sint legitime, patet ex eo quod D. Thomas ait ibidem, conversionem meritariam beatitudinis esse à gratia habituali: unde cum

Tom. IV.

A dispositiones simpliciter ultimæ ad gratiam, quæ sunt contritio, & dilectio Dei super omnia, sint meritoria beatitudinis, manifestum est, juxta ipsius principia, eas à gratia habituali procedere.

Ad tertium desumptum ex quæst. 28. de verit. similiter dico, S. Thomam ibi loqui de gratia habituali, ut est in facto esse, & habet rationem habitus, & formæ justificantis, quo pacto formaliter, & non efficienter, remittit seu expellit peccatum, non verò loqui de ipsa ut est in fieri, & habet rationem auxilij moventis: nam sub hac ratione non remittit peccatum formaliter, sed tantum efficienter, movendo liberum arbitrium, ut per actus contritionis & charitatis ad talem remissionem ultimò se disponat.

Unde ad argumentum quod Joannes à S. Thoma invictum appellat, facile responderetur, distinguendo Majorem: Si contritio, in quantum ultima dispositio, efficienter procedat à gratia habituali, per aliquam operationem suam, gratia habitualis, considerata in facto esse, & ut habet rationem habitus, & formæ justificantis, erit causa remissionis peccati, negatur: considerata præcisè in fieri, & quatenus habet rationem auxilij moventis, conceditur. Ad id quod addit dico, ut gratia habitualis producat ultimam dispositionem ad seipsam, necessarium quidem esse quod existat, sed eo duntaxat modo quo eam producit, non verò alio quod ipsam non causat: subindeque cum non nisi ut infunditur, & ut est adhuc in fieri, eam efficiat, hoc duntaxat modo, atque adeo imperfectè tantum, & vialiter, ac incompletè debere existere, non verò perfectè, completè, & in esse quieto & permanenti.

Obijciens tertio cum Suarez: Si actus charitatis & contritionis in instanti justificationis sint à gratia, præsupponunt eam existentem (cum causa efficiens causet ut existens) ac proinde ut unitam animæ; cum gratia sit accidens, & existentia accidentis sit inexistens, seu inhærentia: Ergo non possunt animam disponere ad receptionem ejus in subiecto.

Sed facile responderetur ex dictis, distinguendo Antecedens: præsupponunt eam ut existentem & unitam animæ, in ratione auxilij actualis, concedo Antecedens: in ratione habitus & formæ sanctificantis, nego Antecedens, & Consequentiam: potest enim gratia habitualis prius naturâ animæ uniri per modum auxilij moventis, ut illam ultimò præparet ac disponat per actus contritionis & charitatis, ad recipiendos effectus formales quos tribuit, ut habet rationem habitus & formæ sanctificantis.

Dices: Hujusmodi actus procedunt à gratia; tanquam à principio radicali virtutum charitatis & poenitentia: Sed in quantum est principium radicale talium virtutum, & aliarum infusarum, habet rationem habitus, & formæ sanctificantis: Ergo tales actus procedunt à gratia, in quantum habet rationem habitus, non verò ut gerit vices auxilij.

Respondeo gratiam, ut principium radicale virtutum infusarum, habere rationem habitus & formæ sanctificantis, sed hanc non exercere, nisi prius prioritate à quo, seu naturâ, & ordine executionis, exercendo rationem auxilij moventis, radicaliter per seipsam, & formaliter per habitus infusos, qui ab ipsa emanant ut proprietates ab essentia, ut sic præparet sibi subiectum,

X ij

ut connaturaliter suum effectum formalem illi communicet.

212. Objicies quartò cum eodem Authore: Gratia habitualis infunditur homini, quia est contritus: At si contritio eliceretur ab habitu gratiæ, hæc causalis non esset vera, sed potius ista: ideo homo conteritur, quia ipsi infunditur habitus gratiæ: Ergo contritio per quam homo ad justificationem ultimò disponitur, non procedit ab habitu gratiæ, sed ab auxilio actuali per modum transeuntis collato.

213. Respondeo concessa Majori, negando Minorem: cum enim gratia habitualis exerceat munus auxilij moventis, & formæ sanctificantis, utraque causalis est vera: prima quidem, intellecta de gratia ut habet rationem habitus & formæ sanctificantis; secunda verò, intellecta de eadem gratia, ut gerit vices auxilij, & prout est in fieri seu infundi, ut antea explicatum est. Sicut in ordine naturali, istæ causales sunt veræ, in diverso causæ genere: fenestra aperitur, quia ventus aulam ingreditur: ventus aulam ingreditur, quia fenestra aperitur. Anima unitur corpori, quia est organicum, seu ultimò dispositum ad eam recipiendam: corpus organicum est, quia anima ei unitur & ipsum informat. Corpus recipit lucem, quia est diaphanum: & est diaphanum, quia recipit lucem. Aer illuminatur, quia purgatur à tenebris: & purgatur à tenebris, quia illuminatur. Causæ enim, ut supra ex Aristotele dicebamus, sunt sibi invicem causæ; unde quod causat aliquid in aliquo genere causæ, ab ipso causari & dependere potest in alio genere.

214. Objicies quintò: Homo per visionem & ambulationem non potest seipsum disponere ad habendos oculos, vel pedes, quia tales actiones effectivè procedunt à potentia visiva, vel progressiva. Calor etiam, quamvis possit esse ultima dispositio ad formam ignis, non tamen calefactio, quia à tali forma effectivè producit: Ergo similiter, si actus contritionis & charitatis à gratia habituali effectivè procedunt, non poterunt ad ipsam disponere: vel e contra, si ad eam disponant, non poterunt ab ipsa procedere.

215. Respondeo concessa Antecedente, negando consequentiam & paritatem. Ratio autem discriminis est, quia visio & ambulatio, cum sint actiones successivæ, non possunt fieri in instanti, unde presupponunt in homine potentiam progressivam & visivam, non solam prioritate naturæ, & instantis à quo, sed etiam prioritate temporis & existentie: quare cum ultima dispositio ad aliquam formam, eam comitetur, & sit in subiecto in eodem instanti quo forma in ipso recipitur, implicat quod homo per visionem & deambulationem seipsum disponat ad habendos oculos & pedes: & idem est de calefactione respectu ignis, cum illa pariter sit actio successiva, & non instantanea. E contra verò cum actus contritionis & charitatis sint actiones instantaneæ, & non successivæ, eliciuntur ab homine in eodem instanti justificationis, in quo gratia infunditur, eamque prioritate solam naturæ præcedunt; ideoque licet ab ipsa effectivè procedant, possunt tamen ad illam disponere, non ad modum dispositionis antecedentis, sed concomitantis: sicut calor ut octo disponit ad formam ignis, à qua profluit, ut supra ex D. Thoma vidimus.

216. Objicies sextò: Gratia justificans, etiam ref.

A pectu hominis contriti, est novum beneficium Dei, ex cuius accessione pœnitens multum crescit & ditatur: At si illa præsupponeretur in homine, ut principium efficiens primæ contritionis, non esset novum Dei beneficium &c. Ergo gratia habitualis non est principium efficiens primæ contritionis. Major est certa, & communiter recipitur à Theologis. Sequela etiam Minoris videtur manifesta: cum nulla forma possit esse novum donum, seu beneficium, respectu ejus qui possidet illam.

B Respondeo concessa Majori, negando sequentiam Minoris: cum enim actus contritionis non mereantur primam gratiam habitualement, sed se habeant duntaxat ut dispositiones ad illam, semper est novum beneficium, Deum conferre gratiam habitualement contritionis. Quod verò tales actus procedant efficienter ab eadem gratia, sub formalitate auxilij moventis, non tollit rationem novi beneficii; sicut non tollit novam esse actionem aut mutationem quā introducitur forma in materia disposita, quod dispositiones concomitantes procedant efficienter ab ipsa forma. Similiter per justificationem pœnitens multum crescit, & ditatur, quia illa non solum importat gratiam habitualement ut est in infundi, & gerit vices auxilij moventis, sed etiam ut est infusa, & in facto esse, & quatenus habet rationem formæ sanctificantis, & dantis esse divinum participativè; sub qua ratione causat plures effectus formales, nempe hominem sanctificare, renovare interius, donis Spiritus Sancti, & virtutibus infusus adornare, & dare illi jus ad hereditatem regni celestis, ex quorum accessione pœnitens mirum in modum ditatur.

C Objicies septimò: Actus virtutis acquisitæ nequit efficienter procedere ab habitu quem causat: Ergo nec actus charitatis ab habitu charitatis infusæ, ad quem ultimò disponit, subindeque nec ab ipsa gratia habituali, quæ est illius radix.

D Respondeo concessa Antecedente, negando consequentiam, & paritatem. Ratio discriminis est, quia actus virtutis acquisitæ est causa efficiens habitus, cujus dicitur causa; unde cum idem non possit esse prius & posterius in eodem genere causæ, non potest ab illo effectivè procedere: at verò primus actus charitatis ultimò disponens ad gratiam habitualement, non est causa efficiens ipsius, sed tantum dispositiva, unde non repugnat quod ab illa effectivè procedat.

E Dices, ex hac solutione sequitur, quod saltem contritio, quæ est pars sacramenti Pœnitentiæ, non potest effectivè procedere à gratia habituali, quæ in tali sacramento confertur, cum illam producat effectivè, saltem instrumentaliter, & duo non possint se invicem causare in eodem causæ genere.

F Respondeo hanc instantiam solum probare, quod gratia habitualis non possit producere contritionem, quatenus est pars sacramenti Pœnitentiæ, & virtute clavium habet vim producendi gratiam sacramentalem; non verò quod contritio secundum se considerata, & quantum ad suam substantiam, à gratia habituali effectivè non procedat. Nam ut ait S. Doctor quæst. 8. de verit. art. 8. ad 2. *Pœnitentia sacramentum habet conferre gratiam ex virtute clavium, quibus se pœnitens subicit: contritio igitur si secundum se consideretur, non se habet ad gratiam, nisi per*

modum dispositionis; sed si consideretur inquantum habet virtutem clavium, sic sacramentaliter operatur in virtute sacramenti penitentiae. Quando ergo homo contritus ad sacramentum Penitentiae accedit, duplicem recipit gratiam, unam ex opere operantis, quae correspondet contritioni secundum se consideratae; alteram ex opere operato, quae correspondet virtuti sacramenti, unde sacramentalis dicitur. Prima producit contritionem in genere causae efficientis, & ab ea solum dependet in genere causae materialis dispositivae: secundum vero dependet à contritione, non solum ut à dispositione, sed etiam ut à causa effectiva instrumentali, & ideo ipsam effectivè non producit.

222. Obijcies octavo: Nulla causa efficiens dependet à sua operatione, vel effectui, in alio genere causae, quam finalis; unde dicitur communiter, quod omne agens est propter suam operationem: Sed causa materialis, seu dispositiva, est valde diversa à causalitate finali: Ergo gratia habitualis non potest dependere in genere causae materialis, seu dispositivae, ab actibus quos effectivè producit.

223. Respondeo distinguendo Majorem: Nulla causa efficiens dependet à sua operatione, vel effectui, in alio genere causae, quam finalis, si sit purè efficiens, concedo Majorem: si simul habeat rationem causae efficientis & formalis, secundum diversos respectus, vel munia quae exercet, nego Majorem: nam licet ut gerit munus causae efficientis, non possit dependere à sua operatione, vel effectui, in alio genere causae, quam finalis; prout tamen habet rationem causae formalis, ab illo causari & dependere potest in genere causae materialis dispositivae; ut patet in forma ignis, quae quia non solum est causa efficiens caloris ut octo, proficiens ab ipsa per modum proprietatis, sed etiam causa formalis, ab ipso in genere causae materialis dispositivae dependet, non quatenus est causa efficiens ipsius (cùm causa efficiens in executione sit prior simpliciter & omnibus modis aliis causis) sed prout est causa formalis: Idem cum proportionem de gratia habituali, respectu actuum contritionis & charitatis, dicendum est: licet enim ea, prout est in infundi, & gerit vices auxilij moventis (sub qua ratione effectivè causat actus contritionis & charitatis) sit prior illis simpliciter & omnibus modis, & in nullo genere causae, sub hac ratione & formalitate, ab illis dependeat, ut tamen est habitus & forma sanctificans, & causa formalis justificationis, ab illis in genere causae materialis, seu dispositivae dependet, ut latius exposuimus in notabili, quod solutioni objectionum praemisimus: & in hoc valde hallucinantur Adversarii, dùm existimant nos velle quod gratia habitualis, prout est causa efficiens actuum contritionis & charitatis, ab illis in alio genere causae dependeat; hoc enim nusquam somniavimus, cùm pro certo habeamus, causam efficientem, ut efficiens est, à nulla alia causa, praeterquam à finali, posse pendere.

224. Obijcies ultimum: Dispositio ad augmentum gratiae, & virtutum, non est ab ipso augmento effectivè: Ergo neque dispositio ad primam gratiam erit effectivè ab ipsa gratia.

Respondeo dato Antecedente, negando consequentiam, & paritatem. Ratio discriminis est, quia dispositio ad primam gratiam sanctificantem non est ipsius meritoria, dispositio vero ad augmentum gratiae, & virtutum, illud de condigno meretur: unde cùm principium meriti non possit

A cadere sub merito, dispositio ad augmentum gratiae, ab illo effectivè procedere nequit, sicut dispositio ad primam gratiam habitalem, ab ipsa effectivè producit.

§. III.

Corollaria praecedentis doctrinae.

EX dictis in hac disputatione inferes primò, 225. Quod licet aliquando iustificatio fiat in tempore, & in ea procedatur de imperfecto ad perfectum, per se tamen non requirit tempus, sed potest vnicò instanti fieri. Ita D. Thomas hic art. 7. ubi sic discutit. Tunc homo iustificatur, cùm Deus in eius anima gratiam introducit: Sed potest eam in instanti introducere: Ergo homo potest in instanti iustificari. Major patet, Minor probatur: Primò quia gratia per Spiritum Sanctum in cordibus nostris diffunditur, ut dicitur ad Roman. 5. Sed Spiritus Sanctus advenit in instanti, juxta illud Act. 2. *Fallus est repente de caelo sonus, adveniens Spiritus vehemens*: Unde Glossa Ambrosij in illud Lucae 1. *Abiit in montana cum festinatione*: ait: *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia*: & Chrysostomus homil. 25. in Joan. in principio assignat differentiam inter nativitatem ex carne, & ex Deo, per gratiam Spiritus sancti, quòd illa indiget tempore, hac vero perficitur in momento: Ergo Deus potest in instanti gratiam homini infundere.

C Secundò probatur eadem Minor: Quòd aliqua forma non statim introducat in subiectum, provenit ex eo quòd subiectum non est dispositum, & agens indiget tempore, ut disponat illud; videmus enim in naturalibus, materià disposità, formam introduci in instanti; & lucem in instanti recipi in diaphano, quia ex se est dispositum ad eam recipiendam: Sed Deus non requirit aliam dispositionem in anima, ad gratiam producendam, quam eam quam ipse facit, & hanc in instanti efficere potest: Ergo &c. Minor probatur quoad secundam partem, prima enim supponitur ex dictis de dispositionibus ad gratiam & justificationem: Quòd agens non statim disponat subiectum, provenit ex disproportionem aliqua inter indispositionem subiecti, & virtutem agentis; unde quantò fortior est virtus agentis, tantò citius disponit subiectum: Sed virtus divina, cùm sit infinita, superat quancumque indispositionem subiecti: Ergo potest quancumque materiam in instanti disponere, ac proinde liberum arbitrium ad gratiam iustificantem in instanti preparare.

Dices: Motus liberi arbitrij est electio: At electio, cùm requirat deliberationem consilij, quae important discursum, non potest fieri in instanti: Ergo liberum arbitrium non potest in instanti ad gratiam preparari. 226.

E Confirmatur: Ad actus liberi arbitrij, ad justificationem disponentes, necessaria est consideratio plurium, Dei scilicet, & peccati: Sed intellectus non potest simul plura intelligere: Ergo nec liberum arbitrij in instanti ad justificationem disponi.

Ad instantiam respondeo cùm D. Thomas hic art. 7. ad 1. motum liberi arbitrij ad justificationem requisitum, esse consensum ad detestandum peccatum, & ad accedendum ad Deum: consensus autem potest esse in instanti, sicut & ipsa electio, quae ad justificationem est necessaria; ut patet in Adamo, & in Angelis, qui per proprios actus, Deum omnibus aliis praeligendo, se ad gratiam disposuerunt. 227.

Ad confirmationem dico cum eodem S. Doctore in resp. ad 2. intellectum posse intelligere simul plura, si habeant ordinem adinvicem, quia tunc se habent per modum unius, juxta illud commune prologium: *ibi est unum propter aliud, ibi est unum tantum*: peccatum autem ut destruendum propter Deum, & ipse Deus, aliquem inter se ordinem habent.

228. Inferes secundò, justificationem, ex parte termini per eam producti, esse maximum opus Dei; cum gratia habitualis, quæ est ejus terminus, sit perfectior omni ente creato, & creabili, ut in Tractatu de gratia ostendimus, & innuit D. Thomas hic art. 9. ad 2. dicens, *Bonum gratie unius, majus est quam bonum nature totius universi*. Creatio tamen secundum quid, seu ex parte modi agendi, perfectior est justificatione: quia per creationem aliquid fit ex nihilo; per justificationem verò gratia educitur ex anima, non ratione potentie naturalis, sed obediencialis, sicut in Tractatu de gratia declaravimus.

Disp. 2.
art. 4.

Disp. 4.
art. 2.

229. Inferes tertio, justificationem, ut communiter fit, esse quidem actionem mirabilem, sed non miraculosam.

Prima pars patet: nam in justificatione in primis remittuntur peccata; remissio autem peccatorum est præcipuum opus divinæ omnipotentie, juxta illud quod canit Ecclesia in collecta Dominicæ 8. post octavas Trinitatis: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maxime & miserando manifestas*: cujus dicti tres egregias rationes assignat S. Thomas 1. p. quæst. 25. art. 3. ad 3. Secundò in justificatione fit interna animæ recreatio & renovatio, de qua dicitur Psal. 103. *Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ*. Tertiò anima peccatoris mirum in modum venustatur ac decoratur per gratiam habituales, quæ est animæ decor & pulchritudo, juxta illud Augustini 15. de Trinit. cap. 8. *Natura cum à Deo suo conditore justificatur, à deformi forma, formosam transformatur in formam*: unde animæ per gratiam justificatæ dicit Deus Cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*. Quartò in justificatione homo fit Dei amicus, & objectum dilectionis specialis illius. De quo effectus loquitur Doctor mellifluus serm. 5. in dedic. Ecclesiæ, explicans illud Job: *Quid est homo quia magnificas eum? subdit enim quid? sine dubio vanitati similis factus est homo, ad nihilum redactus est homo. Quomodo tam en penitus nihil est, quem magnificat Deus? quomodo nihil erga quem oppositum est cor divinum? Respiremus fratres, & si nihil sumus in cordibus nostris, fortè in corde Dei potest aliud latere de nobis. O pater misericordiarum, quid apponis erga nos cor tuum? Scio, scio: ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Quomodo ergo nihil sumus, si thesaurus tuus sumus? Denique in justificatione homo non solum fit Dei amicus, sed etiam in filium ejus adoptatur: quod est adeò mirabile & stupendum, ut Chrysologus serm. 72. id appelleret, *Sacramentum pavoris sanctorum*; & serm. 67. & 68. exclamet: *stupent Angeli, mirantur cælum, pavet terra, caro non fert, auditus non capit, non attingit mens, tota sustinere non potest creatura, astimare non sufficit, credere pertimescit*.*

Magna procul dubio Deus olim fecit mirabilia, quæ recenset Propheta Regius Psal. 135. dicens: *Qui facit mirabilia magna solus: qui fecit calos in intellectu: qui firmavit terram super aquas: qui fecit luminaria magna, Solem in potestatem diei,*

lunam & stellas in potestatem noctis: qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum: qui eduxit Israël de medio eorum, in manu potenti & brachio excelso: qui divisit mare rubrum in divisiones: qui percussit petram, & fluxerunt aquæ &c. Hæc omnia quotidie renovat in justificatione impij. Ibi cælos facit in intellectu, qui terrenos olim & irracionales peccatores, facit coelestes & rationales. Ibi firmat terram super aquas, qui ex lachrymarum fluentis, cordis in bono firmitatem operatur. Hic luminaria magna creat, qui lucem gratiæ è tenebris peccatorum eruit. Hic percussit Ægyptum, & filios Israël eruit à captivitate Pharaonis, qui peccatores à miserabili liberat & Pharaonem, omnemque exercitum ejus aquis immergit, qui insurgentes affectuum inordinatorum fluctus comprimit, & omnes iniquitates nostras in profundum maris suæ infinitæ misericordiæ projicit. Hic petram in stagna aquarum convertit, qui ex durissimo corde lachrymarum fontes elicit. Denique justificationi impij istud Poëtæ meritò adaptari potest: *Non alibi miranda magis*. Illa enim opus est humanæ intelligentiæ impervium, mysterium in Deo absconditum, secretum horroris, sacramentum pavoris Sanctorum, & ænigma sacratissimum, & obscurissimum, quod nulla humani ingenij solertia aperire potest. Indica mihi, si nosti omnia, per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram? Job 38. Quæ verba exponens Gregorius magnus lib. 29. Moral. cap. 9. sic ait: *Quid lucis nomine nisi justitia accipitur, & quid per tenebras nisi injustitia designatur? Unde quibusdam conversis à peccatorum nequitia dicitur: eratis aliquando tenebre, nunc autem lux in Domino. Tunc verò lux nobis spargitur, quando mens nostra fidei radio illustratur: tunc æstus dividitur, quando divini amoris igne inflammatur. Indica ergo mihi per quam viam lux spargitur? Ac si aperire diceretur: dic quo ordine justitiam suam Deus oculis finibus cordium infundit, cum & per accessum non videatur, & tamen visibilia opera hominum invisibiliter immutat; cum unam eandemque mentem modo hac, modo illà virtute irradiet, tamen per sparsam lucem adhuc ex parte aliqua eam in tentationis tenebris remanere permittat, dum dura corda emollit, dum rigida inflectit, dum aspersa mitigat, dum frigida accendit, dum debilia roborat, dum vaga stabilis, dum nutantia confirmat: intueri si vales, incorporaliter veniens quibus eam meatibus illustret.*

Hunc mirabilem gratiæ effectum eleganter describit S. Prosper in carmine de ingratis, his verbis:

*Deus ergo sepultos
Suscitat, & solvit peccati compede vinctos;
Ille obscuratis dat cordibus intellectum:
Ille ex injustis justos facit, indit amorem
Quo redametur amas, & amor quæ conferit ipse est.
Hunc itaque affectum, quo sumunt mortua vitam,
Quo tenebre fiunt lumen, quo immunda nesciunt,
Quo stulti sapere incipiunt, egrique valescunt,
Nemo alij dat, nemo sibi &c.*

Secunda pars corollarij, quæ asserit justificationem, ut communiter fit, non debere dici miraculum, docetur à D. Thoma hic art. 10. & probatur breviter: Ut aliqua actio sit miraculosa, requiritur ut fiat præter ordinem communem divinæ providentiæ, ut patet in resurrectione mortui, & illuminatione cæci: Sed justificatio impij, ut com-

muniter fit, non fit præter ordinem communem divinæ providentiæ supernaturalis, fit enim procedendo paulatim ab imperfecto ad perfectum, & disponendo peccatorem ad gratiam, per actus fidei, spei, contritionis, & charitatis: Ergo illa non debet dici miraculum. Dixi, ut communiter fit, quia conversiones aliquæ extraordinariæ, qualis fuit conversio D. Pauli, & B. Magdalene, possunt dici miraculosæ, quia sunt præter communem & consuetum cursum divinæ providentiæ, moventis prius animam peccatoris ad conversionem imperfectam, ut postmodum ad perfectam deveniat; Deus autem animam D. Pauli, & B. Magdalene, tam vehementi & potenti gratiâ excitavit & movit, ut statim perfectionem quandam iustitiæ & charitatis assecuti sint. Unde de B. Magdalena ait Petrus Damianus serm. 5. de S. Bonifacio: *Stipula tartari in momento cedrus facta est paradisi, atque ut ita fatear, torris inferni factus est splendidum syduæ cœli.* Hinc etiam communiter illi adaptant SS. Patres & Scripturæ Interpretes illud Isaia 21. *Eccce Babylon posita est mihi in miraculum.* Et Stephanus Cantuariensis apud Tilmanum in allegoriis, ait illam esse mirabilem illum arcum, quem Deus posuit in nubibus, ut signum esset fœderis, quod cum hominibus interat, de quo dicitur Eccli. 43. *Vide arcum, & benedic eum qui fecit eum, valde speciosus est in splendore suo.* Sicut enim (inquit) arcus fit ex reperi-
 cussione radiorum Solis, & nube rorida; ita Christus, verus Sol iustitiæ, respiciens Magdalenam veluti nubem roridam, eam velut sacram Iridem variarum virtutum coloribus decoravit, & in lachrymarum imbrem resolvit. Quare de ea canit idem Author:

*Salve versicolor cœlum, Iridis instar, amœnas
 Virtutum formas, florigerasque ferens.*

231. Inferes ultimò, quatuor esse causas justificationis, sicut & cuiuslibet alterius actionis, materiale, formale, efficientem, & finale. Formalis est iustitia inherens, seu gratia habitualis & justificans, ut art. 3. ostensum est. Materialis est essentia animæ, in qua residet ipsa gratia justificans, ut in Tractatu de gratia visum est. Finalis est triplex: Prima gloria Dei; nam ut ait Paulus ad Ephes. 1. *Predestinavit nos in adoptionem filiorum &c. in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo.* Secunda gloria Christi, de qua passim idem Apostolus in Epist. ad Colossenses, & ad Hebræos. Tertia est gloria & beatitudo cuiusque propria; quæ in clara Dei visione consistit, de qua dicitur ad Roman. 5. *Liberati à peccato, finem habemus vitam æternam.* Efficientem etiam est multiplex: Prima & præcipua est Deus, Secunda, eaque instrumentalis, conjuncta tamen cum Divinitate, est Christus ut homo. Tertia est ministerialis, nempe sacerdos, qui est minister sacramentorum, quæ sunt vasa & instrumenta gratiæ. Quarta est meritorea, & ipsa sola est Christus, qui, cum essemus inimici, propter nimiam charitatem quâ dilexit nos, suâ sanctissimâ passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit, ut ait Tridentinum sess. 6. cap. 7. Addi potest causa exemplaris, quæ est idem Christus resurgens à mortuis: quia ut ait D. Paulus ad Roman. 4. *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram:* id est, ut perfectum justificationis exemplar nobis exhiberet. Sicut enim Christus citò, verè, & perfectè, seu non iterum moriturus resurrexit; ita iustifica-

tio nostra, quæ est spiritalis quædam resurrectio à morte peccati ad vitam gratiæ, debet esse prompta, vera, & perfectæ: & sicut Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur, ut ibidem ait Apostolus; ita Christianus in justificatione spiritaliter renascens, & ad vitam gratiæ resurgens, non debet amplius mori morte peccati, nec peccatum illi ultra dominari.

DISPUTATIO II.

De merito Iusti.

Ad quæst. 114. D. Thomæ.

Explicato primo effectu gratiæ habitualis, qui est justificatio impij, consequens est ut de merito iusti, quod est effectus ejus secundarius, disseramus, & quæ tradit S. Doctor quæst. 114. breviter exponamus.

ARTICULVS PRIMVS.

An homo possit aliquid verè & propriè, seu de condigno, à Deo promereri?

Meritum in communi est quædam affectio seu proprietas actus humani, prout est moraliter bonus, ut docet D. Thomas supra quæst. 21. art. 3. & si consideretur in abstracto, est jus quoddam ad præmium, seu mercedem ab alio habendam: si verò in concreto spectetur, definitur potest opus retributione dignum. Sed quia boni operis retributio duobus modis fieri vel exigi potest, nimirum vel ex quadam decentia, liberalitate, & ut sic dicam honestate præmiantis, vel ex iustitiæ debito, Theologi duplex distinguere solent meritum: unum propriè & strictè sumptum, quod habet in se valorem & æqualitatem cum præmio, & vocatur meritum de condigno: aliud largè & impropriè dictum, quod exceditur à præmio in valore, est tamen decens & congruum, ut tribuatur à præmiante, unde dicitur meritum de congruo. Exemplum utriusque est in milite, cui proprium stipendium exhibetur de condigno; de congruo verò datur illi beneficium nobilitatis, vel donativum aliquod à Rege. Hic solum agimus de merito de condigno: cum enim illud simpliciter & absolute meritum appelletur, quando hæretici meritum in genere respuunt, potissimum de eo loquuntur. Illud autem tanto odio prosequuntur, ut Calvinus lib. 3. instit. cap. 15. dicat nomen meriti exosum esse, & eum pessimè fidei consuluisse, qui primus humanis hoc nomen aptavit operibus, ad Dei iudicium comparatis. Sunt tamen aliqui ex recentioribus hæreticis, qui meriti nomen admittunt, & concedunt homini aliquod meritum, non tamen vitæ æternæ, sed alterius præmij inferioris ordinis, idque non propter operum proportionem, sed ex sola Dei misericordia, ut refert Bellarminus lib. 5. de iustific. cap. 5. Pro veritatis Catholicæ declaratione & defensione

Dico, hominem, ex gratia seu per gratiam operando, posse verè & propriè, seu de condigno aliquid à Deo promereri.

Probatum primò ex Scriptura, quæ operibus ho-